

lud conservatae immaculatae religionis et sanctae celebratae doctrinae in Apostolica Sede esse nexum necessario cum Primatu Petri, ideoque perpetuum: 3) diserte asseritur *in Sede Apostolica esse integram et veram Christianae religionis soliditatem*: cum Sede enim Apostolica immediate nequitur relativum *in qua*; atque *soliditas* cohaeret cum conceptu *Petrae*, quae est Apostolica Sedes, ut ab initio libelli declaratum est. Atqui his verbis non factum, sed praerogativa seu proprietas Sedis Apostolicae significatur: *integra* autem et *vera soliditas* Christianae religionis non est nisi infallibilis fides seu infallibile magisterium fidei. Huiusmodi autem magisterium infallibile ex se se exhibetur. Est enim infallibilis Romanus Pontifex eo quod est *Petra* Ecclesiae: quatenus ergo talis est, ei competit infallibilitas, non est autem *Petra* et stabilis *Petra* per Ecclesiam; sed e contrario haec stabilis est per *Petram*; ergo.

Praeterea eo quod Apostolica Sedes infallibilis est testantur Patres se velle eam sequi et ideo sequentes eam anathematizare omnes haereticos; doctrina proinde Romanae Sedis regula est quam sequuntur Patres ne errent: at huiusmodi regula non a sequacibus sed a se habet rectitudinem. Igitur universa Ecclesia in Synodum collecta professa est magisterium per se infallibile Romani Pontificis.

Porro heic lubet ex ratione agendi Romanae Sedis et Episcoporum in Concilio aliud colligere argumentum, quod promisimus sub lit. F). Scilicet in ipso aditu Concilii, ante quam aliquid decernatur, Romanus Pontifex *iubet* ut omnes Episcopi emittant professionem Fidei in suum magisterium infallibile, omnesque Episcopi catholici morem gerunt Pontifici, libelloque proposito subscribunt. Atqui id nullo modo cohaeret cum sententia gallicana; neque gallicani, nisi suam exuissent opinionem, voluissent subscribere. Iussio enim illa Pontificis et spontanea obedientia totius Synodi evidenter manifestum faciunt creditum fuisse ab universa Ecclesia 1) Papam esse nedum honore sed iurisdictione superiorem Concilio: 2) Magisterium Romani Pontificis esse ex se se infallibile. Nam obiectum circa quod versatur libellus subscribendus est doctrina aliqua fidei: porro iubet Romanus Pontifex ut Episcopi subscribant, res erat nondum Synodo aliquo definita (si dicas rem iam definitam fuisse per subscriptionem Orientalium tempore Hormisdæ, qui eos eidem libello iussit subscribere, revocabitur eadem argumentatio ad illam aetatem); Episcopi autem non mirantur Pontificem iubere nec conqueruntur de hac iussione, sed simpliciter recognoscunt se obligatos esse ad parendum, et obedientes subscribunt. Quare alterutrum de duobus: vel ea erat doctrina manifestissima et certissima in universa Ecclesia, vel Episcopis in Concilio adunatis satis erat id iubere Pontifi-

cem ut certi essent eam doctrinam non posse esse nisi veram. Alterutrum autem dicas, perinde est: ergo.

Alia sollemnis professio eiusdem doctrinae ea est quae edita fuit a Graecis in Concilio oecumenico Lugdunensi II. Approbata est enim a Concilio, in quo sollemniter facta est, et propter quam recepti sunt Graeci ad unionem: respondet autem iis quae iam Clemens VI pro unione a graecis postulaverat (Oderic. Raynaldi Annal. 1343. nn. 12. 15). « Graeci itaque approbante oecumenica Synodo professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit: et sicut praeter ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri ». Porro sive ultima pars per se spectetur, sive consideretur in connexionione cum praecedente liquet, asseri Pontifici iudicium infallibile in quaestionibus fidei. Non enim nisi infallibile iudicium esse potest quo *debent* definiri quaestiones fidei: si enim fallibile est, nulla necessitas est ut per illud finiantur, cum neque finiri possint. Neque dicas iudicium de quo hic est sermo, esse iudicium latum cum Synodo oecumenica, nam de huiusmodi Synodo heic nulla est mentio; et dicitur iudicium *suum*, cum ipse Rom. Pontifex a ceteris distinguitur (sicut praeter ceteris tenetur etc.); ideoque iudicium ipsius distincti a ceteris significatur. Si vero haec comparas cum praecedentibus, liquet auctoritatem definiendi quaestiones fidei esse auctoritatem habentis primatum super universam Ecclesiam (non tantum in universa Ecclesia, ut volunt gallicani); habentis plenitudinem potestatis pascendi h. e. regendi et docendi, id enim quoque ad potestatem spectat: at potestas plena docendi quae fallibilis sit contradictionem implicat; caret enim complemento potissimo, quod est charisma infallibilitatis.

Tertia sollemnis professio est definitio florentina, qua Romanus Pontifex dicitur *omnium Christianorum Doctor existere*. Atqui Doctor omnium Christianorum est ille cui omnes Christiani, ideoque universa Ecclesia etiam simul sumpta fidem adhibere debet. Dico *universa Ecclesia* etiam simul sumpta; quia fides Ecclesia debet esse una; nequeunt proinde obligari christiani singillatim sumpti ad id credendum ad quod ipsa universa Ecclesia simul sumpta non obligetur. Atqui nequit obligari Ecclesia ad credendum id cui potest subesse falsum; ergo magisterium Romani Pontificis est necessario infallibile. Et quidem infallibile ex se se, neque enim ab assensu discipulorum vim suam mutuari potest magisterium doctoris.

Dices si ita est, ergo iam ante Concilium Vaticanum res erat definita; quod quidem admitti nequit, cum haeretici non haberentur qui aliter sentirent.

Respondeo quamvis certissime ea doctrina iis professionibus contineatur, eamque voluerint profiteri qui eas ediderunt, tamen opus est aliqua analysi sive ratiocinio ut ex illis verbis ea intelligatur; illud vero ut definitum ab Ecclesia habetur quod directo et immediato sensu verborum repraesentatur. Quod autem ope ratiocinii colligitur, id per se ad notitias theologicas spectat, non ad notitias communes fidelium, pro quibus omnibus eduntur decreta fidei. Ceterum theologi omnes Romani iam certo tenebant opinionem gallicanam repugnare definitioni florentinae, aliisque professionibus fidei.

L.) Etiam tum cum in disputationibus exortis quaedam opinio penes quarumdam Ecclesiarum scholas invaluit: Rom. Pontificem haud ex se infallibilem esse, Romani tamen Pontifices perrexerunt auctoritatem sui magisterii infallibilis exercere in iis quoque Ecclesiis, in quibus scholae oppositam sententiam tuebantur, atque ita ut, quidquid sit quod theoretice tenebatur aut studio partium in scholis defendebatur, practice eadem Ecclesiae non secus ac aliae auctoritatem supremi magisterii Romanae Sedis aperte revererentur. Ita e. g. egit Innocentius XII in proscriptione Propositionum super amore erga Deum purissimo: sic Innocentius X in damnatione propositionum Iansenii, et Clemens XI in damnatione propositionum Quesnelli; atque ita ut diximus ergo hos Pontifices Ecclesia Gallicana se gessit. Nam Pontifices, absque ulla haesitatione aut dubio suae infallibilitatis in suis constitutionibus normam fidei statuunt ab omnibus necessario sequendam sub poena excommunicationis, omnibusque Episcopis praecipunt non ut eas constitutiones examinent, sed ut eas promulgent et observari faciant; ad id vero se obligari propter auctoritatem Apostolicae Sedis senserunt semper vel Gallicani. Cf. litteras Episcoporum Galliae ad Innocentium X datas 15 Iulii 1653. Audiatur instar omnium id quod gestum est in causa quesnelliana. Clemens XI in Brevi *Gratulationes* dato ad Archiepiscopos, Episcopos et Ecclesiasticos viros in Comitibus Generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregatis, reprehendit aliquot Gallicanae Ecclesiae Praesules eo quod licentiam sibi usurpaverant revocandi ad examen et iudicium ferendi de Pontificia constitutione *Vineam domini*. Ait ergo ss. Pontifex inter cetera: eos non posse ignorare id « quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quod nimirum Sedes b. Petri apostoli de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, *neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio*. Profecto si vel ipsam Apostolicae constitutionis nostrae formam, et quidem non a Nobis recens adinventam,

sed a Praedecessoribus nostris longe seculorum serie usurpatam observare placuisset, qua omnibus Archiepiscopis et Episcopis constitutionis eiusdem executionem et observantiam integram auctoritate apostolica praecipimus committimus et mandamus, edoceri ex ea satis poteratis *Nos in hac causa non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non expectare sententiam, sed obedientiam iniungere....* Currebatis bene Venerabiles fratres, et praeclara Maiorum Vestrorum sequuti vestigia ad Apostolicam Sedem tanquam ad Fidei arcem, totius disciplinae metropolim, et unitatis catholicae centrum, quo omnium Ecclesiarum lineas collimare necesse est, ne alio distortae ruinam inveniant, et ad b. Petri Fidem *nunquam deficientem, qua haeticorum errores peremptorio decreto prosternuntur*, fidenter non minus quam humiliter confugiebatis. Quare ergo tam cito transferimini pene in aliud Evangelium?... Maneat V. F. suus Episcopali Ordini honor ac dignitas, sed quos posuerunt Patres nostri terminos non excedat: *Romanam Ecclesiam omnium Matrem et Magistram nulli inferiores Antistites iudicare aut docere praesumant, aut post eius iudicare iudicium*; sed quae Rom. Pontif. (veteres vobis gallicanos canones recitamus) secundum sacrum suum ministerium Auctoritate apostolica decreverit, *ab omnibus suscipiantur*. » Haec profecto, licet ad aliquos Episcopos directa, valent pro omnibus, asseriturque irrefragabilis sententia Pontificis ante consensum aut iudicium ordinis Episcoporum, qui quidem profitentur, ut ait idem Pontifex, quod decreta fidei a summis Pontificibus lata summam in Ecclesia universa habeant auctoritatem, non iisdem Episcopi conferant firmitatem: « quasi vero, subdit Pontifex, eadem Apostolica iudicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata, quae paucos ante annos divina aequae ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti omnis gallicana Ecclesia datis ad Praedecessores nostras litteris palam professa est, modo fere infirma debeant ac veluti nutantia reputari nisi superveniente vestro paucorum scilicet episcoporum iudicio fulciantur ». Quid vero ad tantae dignitatis plenam reprehensionem responderunt Episcopi? Cardinalis de Noailles nomine omnium respondit inter cetera: « Cum clerus dixit: constitutiones SS. Pontificum a corpore episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare (vides quid improbaverit et reprehenderit R.P.) *mens eius non fuit, necessariam esse huiusmodi acceptationis sollemnitate ad hoc ut illae tanquam regulae credendi et loquendi a catholicis omnibus haberi debeant*. » En Ecclesiae quoque Gallicanae practica sententia. Porro in his apparet ex utraque parte persuasio et fides practica in infallibile Romanae Sedis magisterium; neque enim clarius loqui potuissent qui id firmiter tenuissent.

M.) Constat sententiam negantem Romani Pontificis infallibilitatem esse novam in Ecclesia, eiusque initium satis recens indicari posse. Sane negari nequit quod testatur Ruardus Tapperus in Oratione Theologica III, n. 7. « An autem hic praepositus (Romanus Pontifex) falli possit in sua sententia, quando cognoscit circa fidem et mores fidelium, sicut reges et episcopi in suis iudiciis, ab annis centum et quinquaginta caeptum est controversi et disputari in utramque partem.... A tempore enim Concilii Constantiensis et Basileensis Doctores quidam apud solum concilium oecumenicum docent esse infallibilis sententiae privilegium. Veteres vero scriptores Petro totius Christi familiae praeposito, et Romano Pontifici supremo in terris post Petrum Christi vicario, ut qui solus claves domus acceperit, quodlibet ligandi ac solvendi, eiusque cathedrae proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiae concorditer ex Scripturis tradunt. » Rem ita se habere ut Tapperus testatur evidens est ex hactenus demonstratis. Libet autem et consensum Scholae afferre, cuius satis sit testem vocare S. Thomam, quem omnes generatim sequuntur. Hic II^a II^{ae} q. I, a. 10 docet quod « ad illius auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores et difficiliore Ecclesiae quaestiones referuntur. Unde et Dominus Luc. XXII Petro dicit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi etc. Et huius ratio est quia una fides debet esse Ecclesiae.... quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinaretur per eum, qui toti Ecclesiae praees: ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. »

Quocirca etsi S. Antoninus (Summa Theolog. p. III, Tit. XXII, c. 3, ed. 1740) affirmaverit Papam infallibilem esse cum Concilio, haud recte tamen eius auctoritas obiiceretur nobis. Nam talis affirmatio non est per se exclusiva, illiusque limitationis apponendae ratio petenda esset ex controversiis tunc existentibus quibus factum fuerit ut S. Doctor quod omnibus certum erat vellet affirmare. Ceterum non hic est sensus verborum S. Antonini. Statuit enim auctoritatem declarandi dubia in rebus fidei quam sequatur obligatio credendi esse *solum apud Summum Pontificem*. Et ratio est ea quam affert S. Thomas: « oportet enim in Ecclesia ponere unum caput ad quod pertineat declarare etc.... cuius ratio est quia oportet ponere Ecclesiam sic dispositam, quod tota communitas universalis Ecclesiae maneat in unitate fidei: sed hoc non posset esse nisi tota Ecclesiae haberet recursum ad unum caput. Constat autem quod in Ecclesia non possit esse tale caput nisi *solus Papa* ». Excluditur

ergo ab hac dignitate capitis universitas Episcoporum. Tum obiicit sibi quod Papa est singularis persona potens peccare et errare, apud autem potestatem errantem non debet esse auctoritas contra quam non licet opinari. Respondet vero quod « licet Papa ut singularis persona et proprio motu agens possit errare, *tamen Papa utens concilio et requirens adiutorium universalis Ecclesiae, Deo ordinante qui dixit Petro: pro te rogavi ut non deficiat fides tua, non potest errare* ». Quibus verbis non exprimitur conditio necessaria ut definitio Pontificis sit infallibilis, sed exprimitur conditio exercitii auctoritatis definiendi ut non tanquam singularis persona, sed veluti universalis doctor loqui censeatur. Nec censemus voluisse S. Antoninum conditionem ab eo memoratam accipi exclusive, si concilii nomine et adiutorii universalis Ecclesiae intelligatur synodus oecumenica, cum id neque antecedentibus satis cohaereat nec ab antithesi ab eo instituta cum Pontifice ut singulari persona requiratur, neque historice verum sit. Si vero nomine concilii intelligatur indefinite concilium vel universale vel particulare, aut simpliciter consilium (quod forte scripsit, aut voluit dicere S. Doctor) et nomine adiutorii universalis Ecclesiae intelligatur manifestatio divinae traditionis quae in universa Ecclesia servatur, aut Ecclesiae oratio, aut quid simile, haec nullo modo officiant doctrinae de infallibilitate R. P. ex sese; nam certum est oportere media humana in stadio praeparationis adhibere ut definitio fidei edatur.

Corollarium. Ex demonstratione huius thesisi liquet quod iudicium ferendum sit de opinione eorum qui volunt quidem esse catholici, nolunt tamen aut non valent quaedam praeiudicia gallicana exuere, qui proinde concedunt Rom. Pontificem esse infallibilem, sed, ut ipsi aiunt, *per Ecclesiam quae infallibilis per se est*. Si dicerent *propter Ecclesiam*, verum utique dicerent, nam quaevis auctoritas socialis, eiusque praerogativae sunt propter societatem: quocirca Ecclesia est per se infallibilis quatenus est finis propter quem infallibilitatis donum datum est. Si vero volunt dicere Rom. Pontificem esse infallibilem efficienter per Ecclesiam, hi ignorant prorsus qua de re loquantur, totamque oeconomiam divinae institutionis pervertunt. Sicut enim generatim auctoritas Pastorum, et speciatim auctoritas Petri non est in ipsis per Ecclesiam, sed e contrario est in Ecclesia per ipsos quibus a Deo data est, ita auctoritas docendi infallibiliter non est in Rom. Pontifice, sicut nec fuit in Petro, per Ecclesiam, sed est in ipso immediate a Deo et per ipsum in Ecclesia: quod ex seq. Thesi magis patebit.

THESIS XXV.

Ut conclusionem saltem theologicam defendimus, quod, seposito magisterio Romani Pontificis, magisterium reliqui coetus etiam universi Pastorum nequit sibi vindicare praerogativam divinitus promissae infallibilitatis in docendo: unum proinde est in Ecclesia subiectum immediatum auctoritatis infallibilis.

I. Oportet punctum quaestionis declarare. Et primum certa quaedam praemittimus. Sane 1^o Certum est quod unio corporis Ecclesiae cum suo capite visibili perennis erit, quemadmodum perennis erit Ecclesia; et idcirco perennis quoque erit unio Episcoporum cum Romano Pontifice, quatenus necesse est ut unio Ecclesiae cum suo capite eiusque perennitas et catholicitas sint in tuto. Quocirca si ex Christi institutione unio Episcoporum cum Romano Pontifice obtinetur per illorum erga ipsum subordinationem et obedientiam, certum est quod huiusmodi subordinatio et obedientia habebitur semper quatenus opus est ut ea unio existat.

2. Certum est auctoritatem docendi institutam esse ut actu doceat, atque assistentiam infallibilitatis promissam esse exercitio eius, ita ut si unum est subiectum infallibilitatis, alii autem sunt doctores authentici quidem non tamen per se infallibiles, non satis sit ad hoc ut horum sententia sit infallibiliter certa, quod hi coniuncti sint in communione cum illo, sed opus sit ut cum illo suam auctoritatem exercente coniungantur, sive hic exerceat eam explicite, sive saltem implicite.

Iam vero ad punctum quaestionis quod spectat, haec advertimus. 1^o Quaestio non est utrum consensus universalis Episcoporum in aliquid credendum, illudque proponentium absolute fidelibus, sit infallibilis, ideoque sit motivum sufficiens adhibendi assensum fidei, etsi distincte non audiatur vox Supremi Pastoris h. e. Romani Pontificis: sed quaestio est unde sit immediate et proxime infallibilitas huius consensus. Primum profecto non negamus, imo defendimus. Cum enim fieri non possit ut universus Pastorum coetus secedat a suo capite, cum universi Episcopi aliquid credendum docent, et quidem non conditionate, si nempe ita videbitur Romano Pontifici, sed absolute, obligantes fideles ad assensum, et cum ipsi Pastorum coetui sit promissa infallibilitas, tenendum est magisterium huius coetus esse infallibiliter verum, quaecumque tandem sit causa proxima huius infallibilitatis. Quod si consensus Supremi Magistri pro infallibilitate huius magisterii postulatur, cum ille, quem diximus, consensus universalis absolutus detur, et fieri nequeat ut universus Pastorum coetus a

suo capite secedat, tenendum est in eo universali consensu contineri quoque consensum Romani Pontificis, cui tanquam Pastori principi suoque confirmatori consensum suum Episcopi subordinarunt; unde etsi magisterium Romani Pontificis distincte non sit auditum, certe tamen colligitur a posteriori. Porro si ita explicari potest auctoritas infallibilis huius consensus, perperam ex eo quod infallibiliter verum esse constat id quod tali consensu Episcoporum firmatur, colligitur Episcoporum consensum esse per se infallibilem seposito quoque magisterio Romani Pontificis. Restat scilicet adhuc integra alia quaestio realis: unde immediate et proxime sit infallibilitas huius consensus. Scimus quidem illud esse ex assistentia Spiritus S.; verum quia assistentiam suam Spiritus S. exhibere potest mediis quibusdam praesidiis, quemadmodum universae suae Ecclesiae assistit, sed mediante magisterio, ideo quaeritur an sit aliquod medium seu praesidium quo assistentiam suam erga Episcopos Spiritus S. exerceat. Et sane, ut iam monuimus, nemo dubitat consensum omnium etsi tantum simplicium fidelium in aliquid tanquam revelatum esse infallibilem, certumque veritatis argumentum: at nemo exinde dixerit coetum fidelium, sepositis Pastoribus, auctoritate magisterii potiri a Christo instituti: sed e contrario ope huius magisterii Pastorum evadit infallibilis consensus fidelium qui illi obediunt. In hoc proinde quod universus fidelium consensus tenet veritas revelata certissime continetur; at non idcirco universus coetus simplicium fidelium est magister in Ecclesia. Quapropter aliud est doctrinam profiteri infallibilem, atque eiusdem esse magistrum. Quemadmodum vero fieri potest ut coetus simplicium fidelium universus teneat infallibiliter veram doctrinam quin eiusdem sit magister, sed a magisterio Pastorum eam accipiat; ita fieri potest ut coetus Pastorum universus sit quidem magister veritatis, at infallibilis sit in docendo prout a magisterio supremi Pastoris regitur et confirmatur. Et sicut ex consensu fidei omnium fidelium colligere certo licet quid sit revelatum quin inde deducas fideles simplices esse magistros veritatis in Ecclesia, ita fieri potest ut quamvis consensus omnium Episcoporum feratur infallibiliter in aliquid verum, tamen eius consensus infallibilitas ab unius magisterio in omnes deriveretur, illius scilicet quem Petram fidei et Confirmatorem fratrum Christus data opera constituit.

Ut quaestionem clarius solvamus, spectemus magisterium circa res nondum in Ecclesia definitas. Si enim iam res est definita in Ecclesia, vel si ea est quam explicite Apostoli tradiderunt, et semper explicita professione fidei servata est in Ecclesia, est quidem in hac re infallibile magisterium universum Episcoporum, sed unde? an per